CAPITOLIUM HONORIS INFULATI,

IN GENTILITII APRI CAPITE

ERECTUM,

&

ILLVSTRISSIMO,

Ac REVERENDISSIMO DOMINO,

D. CONSTANTINO IOSEPHO

DE GOSCISKA

ZIELINSKI,

EPISCOPO HIEROPOLITANO,

SVFFRAGANEO,

Vicario in Spiritualibus, & Officiali Generali Gneznensi, Præposito Vladislaviensi, Archidiacono Pultoviensi in Cathedrali Plocensi.

Ipso suæ Consecrationis die 7. Novembris,

A Regio Vladislai IV. Varsaviensi Scholarum Piarum Collegio

DEDICATUM.

Anno è Cælorum Capitolio descendentis Dei-Hominis,

1694.

VARSAVIÆ,

Typis in Collegio Schol. Piarum, S. R. M.

In Gentilitia Arma
JLLUSTRISSIMÆ
ZIELINSCIORVM Domûs.



Tot Consos, Fabiosquè parit Tibi Lechia Cœlum,
Nomina quot numerat ZIELINIANA Domus.
Consilium, ferrumvè petas, nihil illa recusat;
Vt pote quam firmant hinc MANVS, inde CAPVT.

ILLUSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES.

ORbe majus ZIELINSCIORUM CAPUT nimis forsitan injuriosè tractamus, dum unius pagellæ excipimus Capitolio. Superat hoc amplitudine suâ protensa etiam ad ultimam Thulen Augustalia; ipsum Cœlum vix latèpatenti ambitu Tanti capax verticis, ex quo fæcundiore partu quàm ex Iovis cerebro tot suscipit Numina, quot Illustrissima Nomina ZIELINIORUM. Cedunt his ultrò suis astra sphæris, sereniores in ZIELINIIS adorando Planetas, quorum luminibus fulgens Polonia non immerito affinem se jactat polo. Ex Te ipso ILLUSTRISSIME PRÆSUL dum mensuram splendoris Domûs ZIELINSCIANÆ colligimus, pupilla nostra tantis inassueta splendoribus miratur Virtutis Tuæ claritatem, ex qua Patriæ & Orthodoxæ fidei lætior it dies. Natura verò stupet amplitudinem Tuam, desperatura talem aliquando à se produci potuisse, nisi Te jam produxisset. Tunc primò ipsa suum æstimavit ingenium, tunc venerata manus, cum Te felici omine terris ad invidiam,

Cœlo ad amorem edidiſſet. Quantus eſſes, ipſe Tuus probavit ortus. Vix oculis dignoſci poteras, & jam maximis major CONSTANTINVS communi omnium adorabaris judicio. In faſcijs adhuc obligatum ſe Tibi mancipavit Honor, primumq; Tui in lucem progreſſum ſubſtrato Lucina coluit murice, ad Præſuleam iter ſignans purpuram. Amovit à Te inſolens fortuna infeſtas adverſitatum cruces, ut Epiſcopali conſervaret. Tandem à Pallade mollis dextera erudito inſtructa calamo Sacratiore jam tunc nitere videbatur Scipione. Statimq; à cunis Phæbus ad bicollem Te ducens Parnaſſum, imò ſponte prævolantẽ obſeqvente comitatus famulatu, biverticis Mitræ præſagiebat culmen. Præſtolamur avidi hæc non vana, quia Conſtanti ipſius Nominis roborata oraculo vaticinia. Et ſi ambigis quantum hucusq; protractæ ſpes & vota ſtudioſum lancinarint pectus; collige ex lætitia, quam eò intenſiorem prima Honoris Tui fama Noſtris infudit pectoribus, quò mæſtiorem inde expectationem effugavit. Hinc Te triumphis & plauſibus ad Capitolium Infulati comitamur Honoris, gaudia Noſtra, ſive fortunæ noſtræ, ſive Tuæ gloriæ immolantes. Quod ſi (ut ingenuè fatemur) baſilica hæc ZIELINSCIANO inſufficiens CAPITI, Tu eam Magnitudine Tua ampliabis. Excuſabis ILLVSTRISSIME PRÆSVL magnarum ritu mentium, tenuitatem Panegyris noſtræ; grandeſcet enim magis Celſitudo Tua, ſi minùs eam attollemus, quàm debemus, cùm quantùm tenemur non ſufficimus. Inde nec Tibi Honoris, nec ſibi obſequij hic Non plus ultra præfigit.

Jlluſtriſſimæ Dominationi Tuæ

Obligatiſſimum

Collegium Varſavienſe Schol. Piarum.

TRIUMPHUS
PRIMUS:
Magnis Majorum passibus Capitolium INGREDIENS.

COronata prius desideria in triumpho ducimus ad Capitolium Infulati Honoris, antequam Tuos deducamus Aborigines. *Illustrissime & Reverendissime Domine.* Quolibet momento expectabamus felicem Tuam Inaugurationem, unicum quadrantem Platonico mensurantes anno; horas omnes in tædiosos sæculorum tractus distentas esse putabamus, antequam nuntium accepimus dè Tua in Suffraganeatum Gnesnensem Consecratione. Mæsti quodammodo decurrebant menses, quia Tibi applaudere quilibet illorum volebat; omnibus tandem palmam præripuit November, cum suo sagittario vota non fallaci jaculatus arcu, ubi Te Primatialis Cathedræ *Suffraganeum* veneratur. Omnes anni partes inter se litigare videbantur, cuinam illarum cedere debuit solennis Tuæ Inaugurationis pompa. Niuea hyems suam caniciem venerandam ad Tuas flectere plantas cupiebat; verni temporis majestas omnem florum copiam in Tui capitis coronamentum parabat; torrida æstas magis ardebat desiderio Te videndi in Infulâ, quàm proprijs caloribus. Optima

sors autumno obtigit, ubi inter vindemias, *Te Illustrissimi* Sanguinis murice rubentem botrum in Vinea Orthodoxæ Ecclesiæ inuenit. Persultabant giganteo passu duras Alpes nostri affectus; refracta ad Vaticanum collem suspiria cum lenioribus Zephyris ad nos revertebantur, taliq; aura jejuni pascebamur chamalæontes, donec Romana Expeditio ad *Hieropolitanam Insulam*, grato rumore nostras subiuisset aures. Ad famam Tui Capitis Infulati gentilitia Archidiæcesis Gneznensis Lilia lætiùs in autumno suum explicant florem; quasi repando ore loqui vellent millenos Tibi applausus. Loviciensis Pelicanus per apertum sui pectoris vulnus totum cor in lætitiam effundit. Nostra quoq; Varsaviensis Siren festivum Tuo Nomini accinit pæanem. Damus pleno aceruo collectam gaudiorum messem, quia penes Iagellonicum *Vladislai IV* Fundatoris nostri *Manipulum* fæcunda amænitatis Gargara offerre expedit, non leuiores aristas. Ipsa lætitia in præsenti solennitate triumphat, non disertior svada, quæ suæ paruitatis conscia Magnum *Constantini* Nomen pertimescit. Imò omnes paginæ ultra natiuam albedinem magis expallescunt in primo limine Tuæ panegyris *Præsul Illustrissime*; omnes literarum carbones mortui, cadauerosum induunt colorem, quòd timore quodam consternati, ad Tuam exanimentur magnitudinem. Audebimus tamen humiliorem eloquentiæ lembum committere Sanguinis Tui latepatenti Erythræo. Quodsi in profundum delapsis naufragari contigerit, libenter in Tui venerationem cademus.

Gregorius Zielinski Palatinus Plocensis.

Et jam Triumphum instauramus ad Capitolium Honoris Infulati cum Tuis ascendentem Majoribus. Primus illud ingreditur *Illustrissimus Gregorius Zielinski* Palatinus Plocensis vir Marte & ingenio clarissimus. Stupuit Purpuratus Civium Patriæ Consessus gravissima illius consilia, suspexit Bellona magnanimos ausus; Pyrrhum in campo, Cynæam in Curia Regnum adorauit. Porro hoc est singulare ornamentum, si

At-

- - - - *Attica Musæ*
Temperies, & Sparta domi communibus æquè
Militat obsequijs; & mœnia duplice vallo
Consilij, Martisq; tegit. - - -

Vidit Polonia probatam illius prudentiæ authoritatem *Sigismundo III*, cujus Confirmationi pactorum subscripsit, ut non capulo tantùm sed & calamo decoratam manum ostenderet. Verus erga Patriam candor in paginam effusus vix non extinxit atrum sepiæ colorem; literis expressior illibatæ mentis character satis egregiè eluxit. In annotatis atramento syllabis quidam carbunculi micabant, ignem vibrantes feruidi erga bonum publicum amoris. Volatico rapiebatur impetu ad quodvis obsequium Reipublicæ, gentilitiam sui Palatinatus Aquilam æmulatus, cui suffecit unicum fulmen ad hostes profligandos, *Zielinscij* indoles generosa. Crediderim nigram illam Alitem in *Gregorij* sudoribus niveum induisse candorem, imò salsis ejusmodi fluentis toties rejuvenescentem evolâsse. Debito veneramur cultu Paternis insistentem vestigijs *Valentinum Zielinski* Castellanum Plocensem Avum Tuum *Antistes Illustrissime*; qui in splendido Comitiorum theatro acerrimum Polonæ libertatis egit defensorem, dulci eloquio multorum odia & dissensiones composuit. Aculeatæ contravenientium apes ingrato obstrepentes murmure taciturnitatem didicerunt, ut omnem prorsus amandarent fucum, qui mella concordiæ absumeret. Toties magna illius industria amouendis Regni disturbijs efficacem porrexit modum, ut ipsa pericula, quæ alijs metum incutiunt, timerent caput *Zielinscij*, & virilem dexteram. Ita sanè in prudentibus Consiliarijs clarum ingenij lumen, est quædam polaris stella, fluctuantem Reipublicæ nauim ad portum dirigens. Facundæ Oratorum linguæ acus magneticas imitantur, quæ Patriæ onerariam in meliorem flectunt portum, ne patiatur naufragium, aut malorum voragine pereat absorpta. Et certè omne Regnum (testante Lipsio) ultimam vitam

Confirmationi pactorũ subscribit sub Sigismundo III.

Valentinus Zielinski Castellanus Plocensis Avus Illustrissimi.

Sago & togâ inclytus.

tam agit, nisi illam bonorum Ciuium consilia vel redaniment, vel spiritum detineant. Agonizantes rerum successus facilè reviviscunt, si magni judicij sensus ultimum exspirantibus anhelitum, succurrat. Respondit primogeniti Fratris magnitudini aliorum Fratrum virtus æmula *Sigismundi* & *Nicolai Zielinsciorum*; quibus infractum fuit robur pro septemplici Aiacis clypeo, in adversis constantia pro columna quapiam Gaditana. Tot belli incommoda magnanimis Heroibus quædam voluptatis illecebræ videbantur; adeoq; innube frontis serenũm nunquam obtenebrauit ferrea armorum tempestas. Gemini soles, non oculi, vibrantioribus radijs cruentas Bellonæ nubes penetrabant, addensatos telorum imbres pupillâ spectantes irretortâ. Veneramur generosam *Nicolai* sobolem *Ioannem Zielinski* Castellanum Visnensem. Magnis ille dotatus talentis in sago & togâ gessit plurima, quæ non leuem hanc pagellam, sed capaciores tomos implere possent. Erumpit ingens gloriæ splendor è mortuali cinere Illustrissimi Tui Parentis *Ludovici Zielinski* Castellani Sieprscensis, Capitanei Ciechanoviensis, qui non degener à suo Patre *Valentino Zielinski* Filius, ex *Barbara* de Fulstyn *Herburtowna* genitus, magnum suæ Domui columen accessit. Adhuc prætextati juvenis vivacem indolem mirabantur doctiores Athenæ, in adultiori ætate attonitus Mars obstupuit virilem animum. In publico Procerum consessu disertum egit Tullium, vel ignes dicentem Isocratem, ubi frigidiores in publicum mentes accendere matura persuasit deliberatio. Ipsi purpuratæ Senatorum Curiæ parietes auriti quodammodo esse videbantur ad *Zielinscij* oracula; ad suavem illius vocem in ceram emollita, vix non colliquescebant marmora. Quot verba, tot pessulos vel seras ori omnium imposuit. Non homines, sed immobiles statuas hærere tunc credidisses, quando disertissimus hic Nestor loquĩ incepit. Attoniti oculi lapidescere cogebantur; in saxum diriguêre obstupefactæ palpebræ; exangues vultus

Ioannes Zielinski Castellanus Visnensis.

Ludovicus Zielinski Parens Illustrissimi.

tus

tus in silicem obdurati, ab ore illius pendebant; admiratione defixæ frontes, profundioribus rugis sulcabantur. Saxea Deucalionis proles, vel Caucaso stirps progenita cerni poterat, quoties verba fundebat *Zielinscius* In bellicis expeditionibus animosum Hectorem vidisses, permixtos martiali æstu anhelitus trahentem; cui irrequieto motu cor ad pugnam saliebat, non vecordia concussum, sed vehementi lætitiæ impetu exagitatum, in hostem erumpere voluit. Si frangere potuisset costas, ignitum dolonem conspexisses, bellici fervoris flammas ejaculantem. Superbè nimium rugiens Sveticus Leo in Prussia obmutuit ad *Zielinscij* præsentiam, imò emortuus spirare non potuit. Immanis bellua expauit gentilitium illius *Aprum*, qui non leones tantùm, sed etiam latentes in Scythica Mæotyde hydras discerpere novit. *Vladislaus Zielinski* in castris ab hoste cæsus, immortali gloriæ non victima, sed hecatombe occubuit; quia alter Antigonus, unus pro mille, non pro centenis militibus numerari poterat. Illud quoq; memorandum opus *Zielinscianæ* gloriæ, quòd subscriptioni Electionis *Vladislai IV.* gravissimam admoverint manum, nempè: *Valentinus Zielinski* Castellanus Plocensis, *Ioannes* Dapifer Plocensis, *Adalbertus*, *Sigismundus*, & *Martinus Zielinscij*. Scilicet mille adoreis coronandam illorum dexteram coronatis Principum nominibus propiùs accedere decuit; rubentem hostili sanguine manum, purpuratis splendoribus admoveri. Buccinat vocali classico publica fama *Ioannem Zielinski* Gubernatorem Ciechanoviensem ex *Helena Zawadzka* Palatinide Parnaviensi genitum, Fratrem Tuum Vterinum *Illustrissime Præsul.* Vel ex indè Nominis illius amplitudinem metiri possumus, quòd viginti aliquot vicibus, in Comitijs Nuncius optimè Spartam hanc coluerit. Attonabat omnium aures tornatæ dictionis facundiâ, gravi sententiarum pondere, omnes in admirationem rapiebat. Majestuosi vultûs spectatores millenos habuit, totidemq; suæ eloquentiæ auditores,

Nestor in Comitijs, Gradivus in bellis.

Vladislaus Zielinski pro vita Patriæ moritur.

Ioannes Zielinski Frater Illustrissimi.

res, ex quibus nemo criticus censor extitit. Ipse redivivus Cato, si illius effata auscultâsset, nihil censurandum invenisset. Adamantinas obstinatorum mentes emollivit svave illius consilium; novus Hercules, ferreos aliorum animos lenioris suadæ traxit catenâ. Polona libertas nunquàm servitutem passa, captivam se esse fatebatur inter aurea *Zielinsciani* eloquij vincula, libenter tamen ejusmodi compedes portabat, quia pretioso illius Nomini assymbolas. Non potuit satiare Civium desideria, quin frequentiùs se eligerent tali provinciæ administrandæ peridoneum. Omnes illius absentis imaginem in suo capite pingebant, ille in ore, ille in cordibus, multò antè electionem versabatur. Pluribus suaviorem reddebat quietem, quia de illo somniantes, dulcem tanti Viri memoriam fovebant, vel ipso sopore repræsentante *Zielinscij* Personam. Necdum tamen ad gloriam tanti Nominis suffecit toties iterata in Terrestrem Nuntium proclamatio, quin ad Polonæ Themidis Areopagum dignus eo titulo eligeretur Deputatus. Profuga quondam in cælum Astræa, si èousq; in terras non redijt, ad unicum illius voluntatis nutum libenter descendisset. Vt æquissimum veritatis assertorem videre posset justitia, de cælo prospexit. Vel minimam corruptionis umbram fugiebat, ne lucidam virtutem obumbraret; semper in conspectu illius expalluit aurum, quia timebat manus munerum contemptrices. In multos sævam exercet tyrannidem avaritia, quia illos damnare ad metalla didicit; truculentiam hanc *Zielinscius* evitavit, adversùs cupiditatis tela, omni circumspectione armatus. Martiales eiusmodi ausus ipsa loquetur immortalitas, castrenses tubæ meliùs personabunt, quàm calami describent. Toties Scythicos apros venabatur Caledonijs ferociores, & ne fugâ se subducerent, plumbeis glandibus saginatos, Marti in victimam consecravit. Prodit nobile par Fratrum Gubernatoris Ciechanoviensis *Stanislaus Zielinski* Subdapifer Plocensis, & *Iacobus Zielinski*, Vexillifer Dobrzynen-

Ablegatus ad Comitia Generalia.

Ad Tribunal Deputatus.

Stanislaus & Iacobus Fratres Illustrissimi.

nensis. Ad illorum panegyrim hærent umbratiles calami, jamq; frigidâ timoris hyeme conglaciati, unicam eliquare stillam nequirent, nisi splendidissimi ignes *Zielinscianæ* virtutis glaciem hanc resolverent. In utroq; Fratre quis non obstupuit pueritiæ auroram, quam doctior Phæbus comitabatur, illustris omninò satelles. In tenera ætatis concha, clauserunt nobilem prudentiæ gemmam, circulari æternitatis annulo inserendam. Quilibet vaticinari potêrat, ex utriusq; *Zielinscij* juvenili indole, quantus posthac futurus esset; neq; spem elusit eventus, quia omni tinctum literaturâ, tot publicæ functiones probârunt. Multi infantilibus fascijs felicissimas evolvunt prognoses, in patritijs cunis scribunt futuræ virtutis omina paruis pusionibus; si verò maturior ætas votis illorum non respondeat, cælorum influxus accusant, ignauo homini, cancri tarditatem, cholerico, Scorpionis iracundiam appingunt. Frustra spes in herba vernans aspicitur, quam sequens tempus suâ falce demetit, culmum non expectans. Nonnulli sperant auream prolem, sed simul timent ne sit plumbea; timere autem desinent, si sperare desierint, quia spem metus sequitur; utrumq; pendentis animi est, utrumq; futuri expectatione soliciti. Respondit non dubiæ spei uterq; *Zielinscius*, quam in primo juventutis illorum flore, multorum formabant auguria. Probata in rebus arduis actiuitas Vexilliferi Dobrzynensis, Nuntij Terrestris munus aliquoties promeruit. Verborum gravitas Poloni huiusce Demosthenis semper plausum accepit, quia mille digna elogijs. Vltrò pennam influit *Ludovicus Zielinski* Thesaurarius Lomzensis, ex Teressia Brzoszczonka Filia Succamerarij Nurensis natus. Limatum tanti viri ingenium suspexit Polona Themis, ubi anno præsenti Deputatus in Tribunali sua affabilitate venabatur bonorum animos; malorum crimina, irrevocabili sententiâ plectebat. non ignarus illius effati: ita parcendum esse uni, ut clementiæ fructus ad multos perveniat, ita fulminandum,

Ludovicus Zielinski.

ut sternantur paucissimi, quàm plurimi terreantur. Alibi centoculum agit Argum respectus, apud *Zielinscium* etiam exoculatus locum non habuit. Rectissimus causarum arbiter, nunquàm venalem proposuit justitiam, quia illius gladium, aureâ cote hebetari, non acui putavit. Sæpenumerò infirmitas causæ etiam agonizantis non timetur, dum remedia juris acquiri, & emi possunt. Podagricum aliàs negotium optimè incedit, si donantis dextera, chiragram non patiatur. Dare tamen consilium ad rem pessimam meliorandam ob alicuius præmij illecebram, idem est, quod medicinæ locò venenum propinare. Aurum quippè iniquitatis est clypeus. Misera innocentia, sub nocente judice, quæ se eodem scuto defendere debet, quo summa scelera defenduntur. Nemo vidit aureo hoc umbone armatum *Zielinscij* pectus; non enim erubescit veritas, si nuda appareat, pulchrior illi sua nuditas, quàm si auro bracteatos cultus induat. Majorem adhuc *Zielinscianæ* gloriæ campum ingredi liceat, in quo sagacior obseruabit pupilla lectissimam Fratrum triadem, simul & semel legationis munere functam in Comitijs Regni, videlicet *Ioannem Zielinski* Gubernatorem Ciechanoviensē, *Iacobū* Vexilliferū Dobrzynensē, *Ludovicum* Thesaurariū Lomzensem; Quorū magna Nomina venerabundus calamus tenuiori stylo delibauit. Nobilis hic Fratrum ternio omnes difficultatum fluctus, meliùs quàm tridens Neptuni maris tempestatem sedare potuit. Ad Phænicis raritatem accessit, pulchram adeò spectare Fratrum coronam, quæ pro gemmis unione animorum ornata in conspectu tot Procerum resplenduit. Vectigale meretur encomium in castris exercita virtus *Caroli*, *Adalberti*, & *Francisci Zielinsciorum*, cataphractæ cohortis militum. Nunquàm frustra per auras ventilatum mucronem in illorum manibus obseruavit Gradivus, quia semper capulotenus, barbarorum pectoribus immersum, vix advertere potuit. Ad Viennam victore gladio messuerunt Turcarū capita,

Tres Zielinscij simul & semel Nuntij Terrestres in Comitijs.

Carolus, Adalbertus, & Franciscus Zielinscij cataphractæ cohortis milites.

qui-

quibus computandis curiosa arithmeticorum numeratio lassaretur. Infra Iulij Kalendas leo solis stationarius, novos in illo conflictu aspexit leones *Zielinscios*, qui generoso spiritu Musurmanorum cuneos frangebant. Ardentiùs cælesti Sirio tunc lucente flagrabant illorum pectora; videre fuit scintillantes omnium oculos, ignescentes ad prælium vultus, Martiali æstu fumantia capita, flammam vibrantes gladios, accensã Bellonæ facibus frontem, æstivos superantem calores. Vltrà Hierasum, Seretumq; fluvios, ultrà Budziacenses campos, generosissima *Zielinsciorum* trias palmares promovit gressus, novos quæsitura triumphos. Toties à Patritio illorum Apro admorsi Threycij canes, procul eundem allatrare suis vocibus cogebantur, vel intrà sylvarum saltus ululantes, iniquæ sorti adgemebant.

Et Maternæ Domûs Illustrissimi Antecessores *Zawadzcy*, Capitolium Infulati Tui Honoris *Illustrissime Præsul* triumphali passu ingrediantur necesse. *Alexius Zawadzki*, *Isabellæ Sigismundi I.* Regis Poloniæ Filiæ, in Hungariam proficiscenti, ad Regem *Ioannem* suum maritum, Supremus Aulæ Præfectus designatur. Post fata *Ioannis*, prudentissimo *Zawadzcij* consilio voluit niti Regina *Isabella*, semper felici rerum eventu, quia magni ingenij Consiliarium adscivit. Fregit ille omnem difficultatum glaciem, Gordio nodo perplexiores negotiorum ambages dissolvit. Et quia invidiæ optima displicent, pessima verò arrident, sub peregrino sole suos invenit Zoilos *Alexius*, qui sibi venenum propinârunt. Quosdam ita vitium fecit virtuti infensos, ut quos imitari vel nolunt, vel nequeunt, perdere festinant stimulante invidiâ, quæ ibi primò moritur, ubi non habet quod absumat. Tunc vel maximè livor fremere didicit, quandò emeritam virtutem novi stipant honores. Nempè pyraticæ indolis est, quæ vacuis navibus parcit, onustas infestat. Non effugit invidos suæ fortunæ Momos *Zawadzcius*, à quibus porrectum virus accepit. Hausto fatali toxico, sensim tabescere incepit, & invi-

Alexius Zawadzki Supremus aulæ Præfectus Regin. Isabellæ.

C diæ

diæ cedere ratus, in Patriam remeans supremum clausit diem. *Adalbertus Zawadzki*, vir pace & bello clarus, sed pietate in Deum, & avitâ religione clarior, cujus evidens argumentum reliquit, Vulcano mandans libros hæresim sapientes. Nullum avidiùs pabulum depascebantur voraces flammæ, quàm illos codices, hæretica imbutos pravitate, per chartas liberiùs grassabantur ignes, perversæ doctrinæ feraces periodos absumebant. Tales libri non aliâ luce digni fuerunt, nisi illâ, quæ in fatali rogo accenditur. *Bartholomæus Zawadzki*, Filius *Adalberti*, velut studiosa apis, in doctioribus libris flores indagavit, è quibus mella sapientiæ legeret, illustribus ceris infundenda. In literaria arena sepelivit omnem ignaviam, & nè sua pompa funeri deesset, millenas faces accendit, ad quas insomnes frangebat noctes. Non tantùm venerabunda patria suspexit elevatæ mentis fastigium in tenera illius ætate, etiam exteræ nationes stupuerunt. Multi à septenis Nili ostijs crocodyli revertuntur, ex Africa monstra redeunt. Europam portant per orbem, non Ioves tamen, sed boves cum illa domum repetunt: *Zawadzcius* ab extero climate quandam scientiæ encyclopædiam reportavit. *Sigismundi Augusti*, & *Stephani* Regum Poloniæ, apud Imperatores diversosq; Christiani orbis Principes frequenter publicum egit oratorem. Benè sentire omnium est, benè loqui, Magnorum: *Bartholomæus* non tantùm benè, sed etiam optimè locutus, non immeritò os Principum Serenissimorum appellandus. Mirabantur exteri sub frigida natum Parrhaside, dicendi fervore omnium accendisse animos, ad ea, quæcunq; diserto svadebat eloquio. Triplici Canonicorum Collegio insertus, Cracoviensi, Plocensi, Pultoviensi, dignum Infula caput ostendit, quam eidem *Stephanus* Rex brevi conferendum destinaverat, nisi regalem thronum invadentibus fatis concessisset. Et quamvis Episcopale pedum non tenuit, satis est, quod illud tanti Regis judicio meruerit. *Ioannes Zawadzki* Iudex Ciechanoviensis;

Bartholomæus Zawadzki Canonicus Cracoviensis.

Ioannes Zawadzki Iudex Ciechanoviensis.

Adal-

Adalberti Frater, pari eruditione juvenilem prætextam ornavit. Non sufficiebat ut illius diligentiam innube cælum uno tantùm solis oculo spectaret, ideoq; sub nocturni temporis conticinium è suis stellis innumeras aperuit pupillas, quibus laboriosas eiusdem lucubrationes aspiceret. Aulam *Sigismundi Augusti*, suæ politiei palæstram elegit, in virili ætate *Stephani* Regis individuus comes, cui ad Moschoviticum bellũ ituro præstò adfuit. Expavit Moschoviticus Draco gentilitia illius Cornua, ne profundiùs suo capiti infixa sentiret, ideoq; mitiùs sapere didicit. Contrà rebelliones Gedanensium Zborovio Duci adhæsit, partim affabilitate, partim asperiori supercilio obstinatam illorum compescens proterviam. *Sigismundo* III. ad capessendum venienti dominium, ad littus maris Balthici cum numeroso militum delectu occurrit. Ipsi tumentes æquoris fluctus erectas flexerunt cervices in adorationem Serenissimi Monarchæ. Et quia voce non potuit salutare gratissimum hospitem lætior Neptunus, aquarum murmure loqui videbatur. Exarserat Civilis belli incendium sub *Sigismundo III.* malevolorum insolentiâ succendente exitialem flammam. Fidelitatem Principi servans *Ioannes*, vitæ suæ strui insidias à rebellibus non advertens, vix easdem evasit. Iracundiâ frendentes Zoili Regis gratiam *Zawadzcio* invidebant, illibatum ejus candorem erga Principem Titanico aspectu dedignabantur. Ita nunquam sinister animus rectè videt, quod injustè invidet, nec faciliùs noctuæ quàm in aliena luce caligant. Vicit *Ioannes* Vatiniana hæc odia, ridens improbos rebellium conatus, qui innocuo, ipsius sanguine extinguere volebant iracundiæ sitim, canumq; illum olorem, quia senio confectum proprij cruoris Rubiconi innatantem videre cupiebant. *Ioannes Zawadzki* primò Castellanus Gedanensis, postea Palatinus Parnaviensis, Gubernator Svecensis. Iuvenis in Belgio militari arte instructus sub Ductore exercituum Comite ab Emden, redux in patriam ab anno vigesimo, ad sexagesimum

Ioannes Zawadzki Palatinus Parnaviensis.

ſimum tertium multis in bello periculis vitam pro meta poſuit inconcuſſi pectoris heros. In prælijs maximum ijs diſcrimen, qui maximè timent, audacia pro muro habetur. Quanta demum eſt animi magnitudo ad id ſua ſponte deſcendere; quod nec ad extrema quidem redactis timendum ſit, & hoc eſt præoccupare tela fortunæ. Actuoſa in omnibus dexteritate tot Commiſſiones obivit *Zawadzcius*, ad Duces Pruſſiæ, & Curlandiæ, ad imperij Principes ſummo cum applauſu. A Rege *Vladislao IV.* ad Reginam Sveciæ Palatinam Rheni, *Mariam* Duciſſam Nivernenſem Principem Belgij, ad Status fæderatos, deniq; ad Reges Galliæ, & Britanniæ grauiſſimas expediens Legationes, & orbi Polono, & exteris ſtupendam verſati ingenij activitatem oſtendit. Ex Illuſtriſſima Conſorte Sophia de Szczwerin vetuſtiſſimæ Stirpis Germaniæ Comitum tres Filios reliquit: *Ioannem*, *Vladislaum*, & *Fridericum*. *Ioannes Zawadzki* maximus natu, Succamerarius Parnavienſis, Gubernator Svecenſis, egregium magnæ indolis ſpecimen dedit ſua in Gallias & Germaniam peregrinatione. Vix in patrios remeavit limites in Tribunalis regni ſubſellio alter Lycurgus ita gravia cauſarū momenta librare didicit, ut juſtitiam delicatiſſimam legum pupillam non læderet. Nuntium in Comitijs agens, nō verborū purpuriſſo, ſed animi candore bonū publicum promovit. *Vladislaus & Fridericus Zawadzcij*, ferro, & ingenij acie Polonam libertatem ſemper defenſabant. Adhuc teneriore manu doctiores Apollinis lauros uterq; nexuit, quibus poſt hac emeritum caput coronaret. Ambo magnanimi herôés madentem hoſtili ſanguine mucronem irrequieto agitabant motu, non ignari quòd eductus vaginâ gladius niſi ſanguine tingatur, cum rubore in eadem reconditur. Longum eſſet plures ſtatuere columnas Tuæ Domus *Præſul Illuſtriſſime* ex materna *Zawadzciorum* Stirpe, tantas baſes tenuis pagina ſuſtentare nequit, ſub quarum pondere etiàm orbis Polonus fatiſcit.

Ioannes Zawadzki Succamerarius Parnavienſis.

Vladislaus & Fridericus Zawadzcij.

TRI-

TRIUMPHVS
SECVNDVS:
Colligatas Familias
Ad Capitolium
DEDVCENS.

AVgustum purpurati honoris Capitolium nulli competitore voto exambire licuit, nisi qui luctæ & supremis laboribus indefessum victimavit lacertum. *Illustrissime & Reverendissime Antistes.* Illos enim coronarij regum cinctus constringunt vertices, qui ampliatam in fatigia mentem nutriuerunt; in illa defluâ pronitate gemmea tempestas diadematum pretiosis fluctibus devolvitur tempora, quæ profundis amnibus operosi sudoris innatabant. Aliàs rarus Iason aureo ditioris Colchidis intensa desideria coronabit spolio, ni scyllarum rabiem, & armatum sævis Aquilonibus oceanum, metu prætendente pericula, evicerit. Vndè priùs extensa iugera, & salebrosos emetiendi calles stadij athleticum prægustet vestigium, si aureos regij honoris fructus, & coronatam adoreis metam libuit delibare. Auersantur Illustres tituli tenebris & otio addictas mentes; fugit decorum trabeæ purpurissum illos humeros, quos nullum onus examinatore periculo exploravit. Scilicet sublimatus dignitatis apex, quò altiùs elevatur, eò asperiore turgescit arduitate, eminente supercilio animo luctatori minando ex alto labores. Citiùs quia decennali prælio, in deditionẽ obstinata inclinabis Pergama; citiùs cum Annibale chalybeis malleorum ictibus proteruam Alpium emollies duritiem; *Ardua ad honores via.*

rigentia inconcusso adamante honoris limina quamuis sæculari oppugnes luctamine, in pertinacem Caucaseæ silicis venam occalescēt. Et quamvis mole ruit suâ, quod fortuna magnificis solidavit ausis; tamen inaccessam dignitatum arcem adeò firmo roboravit munimine, ut licet Herculeis tumescas viribus, licet in suppetias centimanum accersas Briareum, refractarium reluctantis Numinis nolle minimè in vota tua inflexisti. Per Iouem! quot hìc numeraveris, qui vitam amiserunt, ut invenirent fasces; ut elevassent coronatum sinciput, colla fregerunt, ut rubuissent Tyri conchylio, sanguine manârunt proprio, ut infra superbum pedem relicto vulgo sublimia scandissent pegmata, ad ima profundæ abyssi ceciderunt! *Idem omnes accendit honos, idem excitat ardor, certatim insiliunt quâ semita ducit in altum: arripiuntq́ gradus, quos mordicùs ore tuentur, exercentq́ manus, & se statione vicissim proturbant, tolluntq́ caput, calcantq́ relictos.* Retundit nos indignabunda fortunæ aversio, tamen accedimus; confundit ausum, & tamen præcipitamus assultum; enervat arduitate robur, & tamen vires fractas colligimus: non secùs atq; lymphatica undæ insolescentis procella, quoties violento impulsu in saxeum impacta scopulum, semper repercussa discedit: aut ille temerarius Gigantum ausus, ubi per accumulatos montium acervos cælum intentat scandere, â potentia vibrati fulminis deiectus, pro ambitione Ætneo oppressus pondere, ingemiscit. Nec immeritò tam rigidis excubijs purpuratos postes audax fortunæ armauit providentia, cùm enim errabundo tenebrescentis pupillæ judicio etiam immeritos honoratis adlegisset palatijs, nec simplex vulgus subveretur procacibus desiderijs dignitariam accedere januam; cùm eidem sceptro nuper aratris insuetæ manus & quas victor exercuit chalybs, sese obtulerunt; ut posthac dignis tantùm recludat aditum, vniuersis præpediuit. Vidimus quippè non sine mentium excelsarum vulnere, vidimus in Ausonia majestate ancillâ natum Varronem, & famu-

Quia immeriti trabeas ambiunt.

lum

lum orbem dominatore sceptro ad sua cernuantem imperia. Sic Cincinnatum obseruavimus, qui, *fessos heri duxit boves, dat magnis hodiè jura Quiritibus, & quæ bobus ademerat, imponit Gabijs & Curibus juga.* Debuccinat jactabunda voce in aures mundi septies consulari subnixus sceptro Marius: *Non possum vobis Patres Conscripti antiquas nobilitatis meæ imagines præsentare.* Hodie Premislaus ferrato vomeri obsonaturus accumbit, cras inter mensas regio apparatas luxu aureum pomum orbis illi apponit Bohemicus. Sic Lesconi rudem Polonus detraxit lacernam, monarchali oblato paludamento. Restrinxit igitur restrinxit latepatentes in trabeata penetralia fores cautior tot exemplis reddita fortunæ advertentia, ut ab hinc non cuilibet permissum sit istam adire Corinthum. Vnde quæ adoriri non valuerunt, adorare coguntur limina miseri invasores. Mendicos putares, qui ut modicam honoris emendicent portionem, vitæ tempora petendo amiserunt; ut sereniore fronte illos clementior respiciat fortuna, post querulosos singultus pluvios ab oculis destillant nimbos: vel ut mercentur aliquid, plorantis dispensant palpebræ uniones; vel ut illis obstinata pandantur limina, gemmeis globis pulsando jaculantur. Sed non voces querulæ, & pretiosæ missilium votorum hastæ honorata recludunt limina; pulset concentus virtutum, & panduntur. Hoc Tu ariete, hoc assultu pulsâsti Infulati Honoris Capitolium *Illustrissime Præsul.* Ad sonitum hunc, meliùs quàm ad Orphei plectrum, alijs Caucasei, Tibi jam molliores arcis fortunæ in triumphalem choream subsiliêrunt lapides, quibus merita Infulam Tuam, & Præsuleum distinguunt Annulum. Arietâsti hanc Trojam generoso virtutis impetu, proinde dignus ipsius cæli judicio videbâre, ut *Radzieiovius Agnus*, quem & Sarmatici & Quirinales lassârunt tituli, Tuum majorem Herculeo lacertum, in oneris assumeret participium. Ex quo mensuret jam magnitudinem Tuam Lechia, examinet profundo scrutinio potentiam

Illustrissimo Antistiti arx honoris panditur ultroneè.

bra-

brachij quibus possit sufficere purpuris, ubi post deliberationem annuam, Tu unus Archipræsuleis laboribus Alcides dignissimus censebaris. Quantus es, & quam altè verticem Tuum fortuna extulit? hinc metire, quòd nimirum *Eminentissimus Cardinalis* Comitum adoreis, Principali mitrâ, Archipræsuleis Tiaris, Cardinalitio galero, & quod rei cardo est summarum mole curarum, & si quod aliud in honore celsissimo onus perpēdi solet, oppressus, proximius sibi, præter Te, non invenit fulcrū. Et hoc demum palmarium est, summorum capitum cogitationibus supparem habuisse frontem! hoc gloriosum cum Iove partiri imperium. Ac proindè indiscretum fortunæ genium nullus dixerit; solos ipsa à conclavi honorum arcet immeritos, quando Tibi meritissimo dignitarium & libenter & reverenter submittit Capitolium, non hirriente ut ad ingrati aduentum hospitis cardine. Dij illi quos fabulosa antiquitas foribus effecit Præsides, ejurârunt tunc divinitatem suam, cùm Te quasi maximum Numen terræ in trabeatis laribus suspexerunt. Quare alij maximis incesserunt tripudijs, alij tarditatem fortunæ increpabant, quòd adulto vertici Tuo adoreis, primùm hodie sublimatus Infulæ apex obtigisset. Et certè digna foret objurgationis castigari verbere, nisi paratos ictus innocentia retunderet; eò quòd magnis virtutibus Tuis proportionatum statuere præmium, non unius diei labor, sed sæculorum fatigium habeatur. Sic cujusvis textoris manus in vulgare brachium in momento lacernam texuit, splendidiores trabeæ ipsius Mineruæ artificiosam diu poposcerunt dexteram. De gramine & simplici flore uno quadrante plebeia manus concinnavit sertum, excelsis magnorum virorum temporibus annus integer cudit obryzum in coronam. Maturum ergo & meritum tæniâ caput Tuum redimitura fortuna, diù negavit præmium, ut dignum daret aliquando. Ita Iovi & Marti maximis Dijs per annosos tractus excitantur basilicæ ædes, sæculum & alterum Iones detriverunt, Dianæ suble-

van-

vando parietes Ephesinos: Panes ex virgultis plexo domicilio honorantur contenti. Antequam Delphus Apollinem aureo venustaret amictu, diù statuam pulveribus aspersam in tenebroso obseruavit; at postquam illi in debitum circulum formavit aurum radios, aris & sanctuario impositus ipsa vultûs majestate inscijs divinitatem suam persuasit mortalibus. Distulit & Tibi *Illustrissime & Reuerendissime Præsul* in hæc usq; tempora Infulatum muricem providus honor, ut Te non cuiuis Aræ statuisset Antistitem, sed Archipræsuleæ. Procede ergo, procede ad istud bonis avibus fastigium; conscende fortunatis passibus gradus purpuratos; exsupera secundis alitibus spes votumq; poli, quem primo à limine vitæ nutrix aula fouet, ad Honoris procede Capitoliū. Ibis satis augusto tramite, quem Illustrissimi Affines Tui honoratis triverunt vestigijs. *Iacobus* Decus Poloniæ, Orthodoxæ fidei Atlas & columen, stemmatis *Zielinsciæ Domûs* gloria, *Archiepiscopus Gneznensis*, quàm manifesta Tibi reliquit vestigia! Et sequeris hæc, virtute manuduce premis hos gradus, quos ille calcavit feliciter. Dederat *Iacobo* Martinus IV. Sarmaticos confirmandi authoritatem Præsules; Te jam opus confirmare non haberet, qui in stadio virtutis nunquam languidè incessisti: nullis enim adminiculis indiges, ipsa Te merita Antistitem approbârunt. Etiam *Iacobus* Noster in aurora luctabatur, ubi vigilibus excitus curis dormitare non potuit, gregi commisso intendendo. Nunquam Ovile Christi pulchriùs resplenduit, quàm tanto Pastore exemplis prælucente. Insigniuit & hic non jam variegato vellere, sed venustiore virtutum colore (ut varietas Divinam oblectaret pupillam) gregem Catholicum. Non potuit juxta Evangelicam vocem, Pastorem non audire ovis, dum *Iacobus* filius tonitrui adeo fulmineo resonabat eloquio, ut orbis in eo alterum miraretur Periclem, alterum Demosthenem adoraret. Tonantem illum suspexisset Lechia, ni Iupiter attonitos in cineres & fauillas redigeret, hic suo tonitru

Iacobus Archiepiscopus Gnesnensis.

ad vitam plurimos animaret æternantem. Non semper tamen horrendis aures percellebat fulminibus, suavitate dulci verba condiente; ut jam non sola antiquitas suos jactaret oratores, qui declamaturi lilijs de pectore suspensis blandimenta dictioni comparabant, postquam & huic Polono Hortensio Gnesnensia lilia disertum labium blandâ demulcebant promulside. Vineam Christi nulli tunc deformabant stolones, quos & verbi Divini peracuto gladio, & doctæ mentis acumine amputabat. Sed triumphali Tuo in Capitolium aditui maxima quoq; *Herburtorum* allucent nomina, quorum *Ternus Acinacis* decussatim positus, vel astrum in Sarmatico accendit horisonte; vel efformat calcar excitans ad facinora sæculis memoranda. Quanquàm non eget generosa *Herburtorum* indoles ad exæquandum æternantis gloriæ stadium impulsore stimulo, cui pro Corona Lechiæ cruenta Martis decurrere olympia, amor in Patriam jure mandauit hæreditario. Illi tantùm ad metuendam Bellonæ choream atq; æstus perurgeri debent mavortios, qui tunc se pro focis stare arbitrantur, cum illis assident; tunc hostem fundunt, dum prælia mensis pingunt, fusoq; metantur falerno: Illustres *Herburtorum* animæ, alios non amant ignes, nisi quos ignientis Gradiui fax in incendia suscitauit præliorum; alium, turbatæ fronti sub galeis, pulvillum non quærunt, quàm cristas martiales; aliam non expetunt quietem, quàm perpetuis excubijs in clypeo vigiles producere noctes.

Herburtorum Domus.

Illis sub niuibus somni, curæq;, laborq;
Pervigil, hanc requiem terris, hæc otia rebus
Insperata dabant: quoties sub pellibus ducunt
Edonas hyemes, & tardi flabra Bootæ. Claud.

Quantos Domus hæc in Domum *Zielinsciam* apportet splendores? quanta deriuet lumina? nec ipse atror umbratilis paginæ referre valet. Taceo quòd eos olim Principalibus mitris sublimes adorauit Opolia; quòd senatorijs Lechia eleuavit curulibus; quòd infractos

um-

umbones in hostico locata vocavit Podolia; quòd Sarmaticæ leges eruditos agnouerunt Solones; unum dico, & universa narraui, quòd *Serenissimarum Majestatum* in suam & *Zielinsciam* Domum inextinctum jubar reflexerint: postquam *Nicolaus Herburt* Castell: Camenecensis Vir sago & toga præsenti sæculo exoptandus, præterito invidendus, *Zolkieviam*, Deabus videlicet vel parem, vel superiorem, Serenam, Polonus Stilico in vitæ accepit sociam. Cynthiam hanc qui soles comitantur? ex *Serenissimo Regnatore nostro* mensuram accipe; si ex infinito magnitudine facinorum Monarchâ, potes accipere. Equidem immensitate nominis remotissimos orbis angulos excessisti, Indos & ultimos Seres Te ipso implevisti, Herculeas columnas suppressisti, ubi post Gaditana littora, & glacialem oceanum cedros & marmoreas bases Nomen Tuum *Rex Invictissime* fatigauit. Adeoq; confuso Pompeij fastu, securè jam ad orbem, suffulto ingentibus victorijs humero, dicere potes. *Zolkievij.*

Pars mundi mihi nulla vacat: sed tota tenetur
Terra meis, quocunq; jacet sub sole, trophæis.
Hinc me victorem gelidas ad Phasidos undas
Arctos habet; - - -
Me domitus cognouit Arabs, me Marte feroces
Heniochi. - - - - *Lucan.*

Et quamvis Regij triūphi satis decoris adderent Triūpho Tuo *Illustrissime Antistes*, adhuc tamen illi præludunt Patritiæ *Zamoysciorum Hastæ*, ad Episcopalem Annulum optimum nactæ hastiludium. Credimus jam Encomiastæ Honorij Claudiano, qui in ejusdem Imperatoris exercitu aduertit animatas frondibus hastas, postquā & Tibi *Zamoyscianæ Hastæ*, toties cruore barbarico irrigatæ victrices hodie apportant laureas. Et si olim Troiani Regnantes in publicum prodituri, hastas in fulcimenta sumebant; Tu, quem virtutis suffragium satis alto inducit fastigio, hastis *Zamoyscianis*, Pedum obtenturus Præsuleum, trabeisq; onustus, securè innite- *Zamoyscij.*

re. Enimverò Ecclesia militans assueuerat jam *Stavovianis* Hastis honorem suum defendere, etiam his tutè intaminatam suam committere potest integritatem, quæ tot Ducum gestatæ manibus, peracutis cuspidibus in hoste Patriæ impetum & robur hebetârunt. Adeò quippè *Zamoysciorum* avitus Hastarum ternio zelosè pro honore Divino dimicare amat, ut admirationem extinguat Romanam, quæ bello civili accensas hastas in militari manu obstupuit. Habebit *Diuus Adalbertus* quo suam defendet Ecclesiam, neq; jam remos illi abhinc pictorum addiderit penicillus, cui jam tot hastæ præstò sunt, ut quamvis illi *Otto III. Imperator* pro donata *Divi Mauritij hasta* brachium ademerit, tamen tot sarissis armatus, & suis videlicèt quibus confossus; & Divini Herois Mauritij, & *Zamoÿscianis*, validos hostilitatis impetus represserit. Prævolant fortunatissimum passum Tuum *Illustrissime Domine Działynsciorum Sagittæ*, in summo honorum clivo scopum præfigentes terminalem. Nempè avitum hoc telum quod in barbaris scrutabatur mortes pectoribus, solum arcum exambit triumphalem, cui non alius color, præter hosticum cruorem, æternantis gloriæ impressit symbola. Mersisset toties naufragis Syrtibus Scythicus exundans Bosphorus, vel ferrea diluvies Gradivi tempestuosam excitans procellam, nisi *Działynia* Sagitta inter has nubes tumultuantium bellorum arcum fæderis intenderet. Et verò alatum famæ pernicis remigium, sagittam hanc suis instruxit pennis, ut Aquilam Lechiæ sub con cavum Othomanici volantem Planetæ sequeretur. Adeoq; veritas pateret narrantium vatum, Sagittas lumen solis aliquando obscurâsse; quandò & hæc Auita Sagitta Turcico sideri non semel extinguere cornua attentavit, quæ in nostram ruinam attollebat. Nescit quippè volatica *Działynsciorum* Sagitta aliud centrum appetere, se intenso virtutis nervo propellente, quàm quod vel hosticæ objectant frontes, vel debita sublimant fastigia. Non refodiam vel ipso Sagittæ huius sty-

S. Adalb. cum hastis.

Dzialynscij

ſtylo, tot purpuris rubentes *Działynios*, Antigonus es pro omnibus *Illuſtriſſime Inciſor Regni.* Tibi Patritius Annulus velut quadam compede ſervituram obſtrinxit fortunam; hæc Clavis quam Tibi ad Pruſſicum ærarium clementiſſimâ manu *Sereniſſimus Regnator* tradidit, omnes honorum aperiet januas. *Kraſinia Volucris* auſpicato Tuo ingreſſui ad Capitolium bonas præmittit Aves *Illuſtriſſime Præſul.* Et quia magnitudo virtutis Tuæ ſublimem neceſsè præoccupet clivum, utere Alitis huius pernici remigio, & ſummis meritis conueniens tene præmium. Nec expaueſce Icariæ ſonitum ruinæ, hoc nixus adminiculo; *Kraſinius Coruus*, infrà toties æmulum ſideribus relinquens olympum, ſub ipſum ſolis euectus radium, indefeſſas alas ſublimibus aſſuefecit; ideoq; vicino aduſtus Phæbo, adhuc inſperſum pennis circumfert atrorem. Nempè ſolæ purpuræ, *Kraſiniæ* Aui optimum præbent illicium; nec in infimis conſidere potuit, quam auguſtus Sceptri Pannonici apex in *Mathia Corvino* deportauit. Et verò affinitate Veſtra ad murices, totum fortunæ ad incitas redegiſtis ærarium *Illuſtriſſimi Kraſſiny*, quæ cùm Vobis ex æquo ingentia merita compenſare non valet, obærata Domui Veſtræ in æternum ſe mancipium debebit obſtringere. Si enim vellet Palatinis ſe exſoluere honoribus, *hos jam geſſiſtis honores*; ſi Caſtellana obtulerit ſedilia, in his jam pridem didiciſtis ſenſus formare gravues; ſi gemmas Regni ſignatorias expendere præſumpſerit, has *Franciſci* tractârunt; ſi Infulas, & has emerito ſubleuârunt vertice; ſi Ducales Clavas ingeſſerit, his Vratislai Mæoticæ paludis lernas terruerant; ſi deniq; Patrium Theſaurum depoſuerit, hunc *Ioannes* Parens Tuus *Illuſtriſſime Palatine Plocenſis* pretio gloriæ ſuæ Aureus Sarmatiæ Vir adauxerat: Tu ipſe *Illuſtriſſime Palatine*, licèt Te tot merita Anteceſſorum non præiuiſſent, divitem honorum penum ad penuriam deduxiſti. Sive enim *incedis clypeatus, & auro ſquammeus, & rutilus criſtis, & caſſide major*, ſivè dum in promiſſiore to-

Illuſtriſſ. Regni Inciſor.

Kraſiny.

Omnibus decorati trabeis.

Illuſtriſſ. Palatinus Plocenſis.

togâ *oracula Regis eloquio creuere Tuo;* ubiq; emines; ubiq; Te ipso major esse videris. Vndè hæc purpura quæ Tuos vestivit lacertos invidiam movet alijs, quòd illis non liceat, humerum Tuum centum trabeis dignum decorare. Adeoq; pacatas togas jam in certamen de Te ipso evocâsti, & cum singulæ habere non possunt, in Magnanimam Prolem Tuam conspirârunt. Iamq; invaderent hunc & egregijs dotibus, & sanguine Illustrissimo Candidatum, nisi illum vel teneritudo annorum, vel doctæ Palladis umbo defensaret: jam dignitarios fasces manibus insererent, nisi calamus scholasticus vel Parnassi verbenæ præpedirent. Nunquam augustiorem, quamvis fabulis & antiquâ superstitione senex Iupiter, in cerebro suo situauit maiestatem Minervæ, quàm Tuus vertex; nunquam vibrantiore Apollo coruscauit radio, quàm frons Tua prompto acumine, ubi quodlibet verbum, aureum excessit valorem, quælibet dictio, pretium ademit unionibus. Vndè non invidemus jam fulmineos Græciæ Pericles, & Demosthenes, postquàm illi ad excutiendum linguæ vitium scabrosum prægustare debuerunt lapillum, Tu non ex Erythreo mari, sed ex fontibus Rhetoricis tractam gemmarum supellectilem in expolito verborum decore ostentâsti. Quicunque pueritiam & maturitatem judicij Tui considerat, naturæ ordinem mutatum admiratur, quæ Te priùs Virum, quàm juvenem declarat. Grandes honorum tituli tarditatem redarguunt, quod nondum jisdem suppar evasisti; malletq; Gradivus, ut annorum Tuorum clepsydram mensuraret puluis bellicus, quàm arena scholastica. Sed erit tempus, quandò pleniore lacerto longas adæquabis togas; venient breui illæ kalendæ, quas corusco clypei Tui orbe illustrabis. Ibis Giganteo passu à Parnasso ad Mauortiam Rhodopem, ab Heliconijs cytharis, ad saltum Bellonæ, à proscenijs ad cruentũ theatrũ Martis, à gymnasticis præludijs, ad tubas & classica, ab exedris doctioribus, ad curules Senatorias. Tantis stipatus nominibus ingrederis Capitolium honoris

Illustrissimi Filius Stanislaus Capitan. Stumensis.

Varsaviæ in Scholis Pijs studet.

An-

Antistes Illustrissime. Comitantur Te Aviti *Sczawiniorum* Leones; ut jam non ipsi Imperatores Romani ad Tarpeia leonibus veherentur culmina. Hîc trabeatus *Mnieusciorum*, purpuratus *Lasocciorum*, in laticlavijs *Narzymsciorum*, decorus *Galemsciorum*, in togis *Mostowsciorum*, in sago & chlamydibus *Kosobucciorum* ordo; quorum Patritiæ decus soleæ barbaras premendo cervices, non titubante gressu, quia horridis armatum uncinis, Geticam aut Moschoviticam persequendo feritatem sub frigidam Arcton, *& quà bruma rigens ac nescia vere remitti adstringit scythicum glaciali frigore pontum*, excurrebat. Non grauat ferreum hoc insigne Generosam *Lasocciorum* indolem, quin possint vel in arenam bellatoris Gradivi velociore subsilire pedemate, vel in purpuratos dignitatum gradus eluctari. Vnde si in hac gentilitia tessera splendorem observas, in acie bellica expolita, *longo splendescit ab usu:* si rubiginem notas, hanc illi cruor inspersit barbarorum. Ideoq; nihil Te *Illustrissime Antistes* in his Infulatæ dignitatis Olympijs retardare valet, quando velocibus avitæ soleæ vestigijs tot Illustrium Domorum insistis, & Patritia *Gembicciorum* Fascia optimè Te ad iter succingit triumphale. Sic metuendus *Parissorum* Leo, rigido ungue orbicularem circulum triumphali Tuo currui libenter exporrigit. *Gninscianus* Draco, optimi itineris (juxta antiquorum observationem,) præsagia facit. *Oborsciorum* Columna Tuis meritis *plus ultrà* honorum inscripsit. *Szydłowsciorum* Vrso insidens fortis Amazon, sublatis in æthera palmis alta tibi acclinare vult fastigia; vel felicissimæ inaugurationi applausus intentat excitare, vel sibi demonstrat, quàm sublimia dignitatum ascensurus es culmina. *Rosciszewsciorum* Agnus, obstinatis fortunæ liminibus grandem admovet arietem. In *Garuascianis* Turribus occursum humanus exspectat Heros. *Nowodworsciorum* Fascia fortunæ versatilem genium nodo adstringit Gordio. *Vchanscia* Labara in deditionem panduntur Capitolij. Augent gloriam introitùs *Noskowscij*,

Sczawinij. *Mniewscij.* *Lasoccij.* *Gembiccij.* *Parisz.* *Gninscij.* *Szydłowsc.* *Garwascij.* *Vchanscij.*

wscij, *Kuczborscij*, *Podoscij*, *Brzoska*, *Mdzewscy*, *Slessyn-*
Nisczyccij. *scy*, *Duciminscy*. Imples agmen *Illustris* & *Magnifice Domine Vexillifer Plocensis*; præparas viam Magne anteambulo *Radzieiowianæ* Curiæ: tot jam annis Primatialis Aulæ directorem supportas Scipionem; efflorescet hic breui in fasces Senatorios; Ibis & Tu ad culmẽ honoris, inferes emeritum brachium laticlavio, quod jam penes Cardinalem muricem ad purpurissum exercuisti.
Grzybowsc. *Grzybowsciorum* quoq; Falces, metendis victricibus sertis & hosticis capitibus assuetæ, aggregandis fascibus
Zawadzka *Antistitis Illustriss*. aptantur. Bicornem Infulam *Za-*
Parens Illustrissimi. *wadzciorum* sublimant *Cornua*. Ex quo jam non tantùm sublimi feries sidera vertice, verùm Maximus Dei Sacerdos in splendore vultûs Tui ad familiare cum summo Numine accedes colloquium. Corneis quondam buccinis Iubileum declarabatur; magnum hodie Orthodoxa Ecclesia Iubileum agit, quandò Te lætiore jubilo salutat Præsulem. Deflectit & *Morsstynia* Luna de cælo suo, ut cornibus suis expungat admirationem Ovidio, qui stupuit olim *innumeris structam de cornibus aram*; quando Altare hoc sanctum, coram quo Maxima Deo cadis victima, Maternæ Domûs adornant Cornua. Non indiga enim est *Morsstynia* Phæbe luminis,
Illustriss. Castellanus Cernensis Morsstyn. ubi ipse *Illustrissimus Castellanus Cernensis*, sivè telum quod in hostem vibrat, sivè oracula quæ togatus promit, consideres, Cynthius est ex utroq;. Et *Zawadzcianæ Cruces* non solùm Magno, sed etiam Tibi Maximo præludunt ad triumphum *Constantino*. In quo
Zawadzcij Stemm: Brodżic. virtutis gradu consistitis *Illustrissimi Zawadzcij*, facilè computamus, ex trino Crucis Vestræ numero, cùm alijs in octavo summa perfectio est. Nunquam meliore fulcro integritatem suam fulcire potuit Sarmatia, quàm Vestræ Crucis subnixa labaro. Dispulit illa toties hoc signo salutifero à Mæotide scythica consur-
Kęczewscij gentem bellorum tempestatem. Sic *Kęczewscianæ* Ansæ basilicos *Zielinscianæ* Domui struunt titulos. Tantis ergo circũfusus decoribus *Præsul Illustrss*. ingredere

HONORIS CAPITOLIVM.

TRIUMPHVS
TERTIVS
Illuſtriſſ. Conſtantinum
In Capitolio
SISTENS.

HActenus per auguſta ſanguinis Tui decora, & trabeatum Domûs Patritiæ muricem, impar tantis curulibus proceſſit ſuada, donec poſt adoratos Majores, ad Te Magnum veniret *Conſtantinum Illuſtriſſime Domine.* Vivunt illi in Te, acerbo funerum deplorati luctu; vivis Tu in illorum mortibus poſthuma Avitarum virtutum Icon; ut vel omnes immortales ſint, vel Tu immortalitatem ſingulis dediſſe videaris. Semiſex prono annorum curſu abjerunt ſæcula, quanta temporum abyſſus! à quo ſub *Boleslai Criſpi* regnatore ſceptro Domûs Tuæ exorti ſplendores, Sarmaticæ Aquilæ pupillam everberant nitore luminum; adhuc tamen inter tantas ætatum umbras, lucet *Zielinſciorum* inextinctum jubar, cui Tu in medio Parcarum occaſu accendis meridiem *Illuſtriſſimus.* Quidquid enim profunda fati obliuio per Antenatorum Tuorum divos obliterauit cineres, totum glorioſiore meritorum typo refricas, Avis decorus, Avorum decus. Dediſti in Te documentum orbi, quòd extingui nequeant à ſtirpe præclara traduces Ceræ, ſi non obſcurâ filiorum nutriantur indole. Stringit quidem liberalis in cædes humanas Parca lethali ictu minacem chalybem, ſtringit fatale ferrum, ſed non adeursùs illorum vitam, quibus aurei

Zielinſciorũ Domus Anno 1148. cœpta ſub Boleslao Criſpo.

Nepotes successerunt. Morienti parentum gloriæ, patres sunt filij, quoties in illis renascitur hæres fama. Quòd *Zielinsciani* cælum Nominis incolvulso stet fixum cardine, non Mauritani Gigantis brachio, sed Tuis debet viribus Atlas *Illustrissime*. Te uno Magnus ille sanguis Aviti vivit spiritus; Tu unus anima es *Zielinscianæ* immortalitatis; in Te velut in Gratiani pectore, omnium respirat vita: ut Plinianæ illius assentationis hyperbole, in genuinæ veritatis conuertatur documentum: *vitâ Tuâ omnes fruimur, nec animarum nostrarum, sed Tuus spirat in nobis vigor.* Vix enim incepisti vivere, jam vitam saluti dabas Patriæ; prima dies, quæ Te hominem effudit orbi, æternitas fuit *Zielinscianæ* gloriæ; ijsdemq; Tecum convoluta fascijs maxima Majorum crescebat virtus, canusq; Avorum honor cunas ingrediens, supercilij & rugarum oblitus illi Tecum prælusit immortalitati, quam Tua pollicebatur indoles, spem eventu consequente. Porrò tantus statim in aurora fuisti, ut si ter centum sæculis adultæ Platonis dies Tuæ nativitatis Phosphoro conferantur, umbræ erunt, & velamina tenebrarum. Attonita in Tuo ortu quodammodo natura, oblita est genituræ humanæ legum, quando simul infantem, simul Magnum (cui non æquarentur maximi) genuit *Constantinum*. Hoc Tibi Nomen emanavit è scaturigine fontis lustrici. Sacramento jam obligabaris ad magnitudinem, quam nunc Magnus *Zielinsciano* sanguine, major Tuis virtutibus, Maximus Te ipso, exhibes *Antistes Reverendissime*. Alij per gradus & intervalla annorum consummatam hominis implent perfectionem, infantiam pueritia, pueritiam juventus, juventutem adolescentia, adolescentiam virilitas, virilitatem sensuum & prudentiæ Academia senectus, comitatur. Tu uno passu omne hoc ætatis humanæ transcendisti stadium, statim *Constantinus*, statim Magnus, statim Majorum Magnitudo. Illæ ipsæ regenerantes aquæ, quæ Te abluebant, Civilis & sacri honoris destinabant Candidatum; illud ipsum Laticis

Constantini Nomine baptizatur.

sa-

sacramentalis saxum, suffragator erat, ad Præsuleum Tyaram calculus; ille ipse qui Tibi accendebatur Cereus, quantum in Ecclesiæ candelabro futurus eras lumen, quàm *Illustrissimus* clariùs luce meridiana demonstrabat. Portabaris in ulnis sistenda Deo ad aram victima, & jam ivisti per ora omnium, de Tua magnitudine augurantium. Adhuc brachia complexæ fasciæ ex lucta non dimittebant infantiam, & jam Episcopalis tænia parabat vinculum, quo Te omnis inimicum honoris, Honori adstringeret Præsuleo; necdum proprio instans vestigio, & jam *Constantinus*. Scilicet: Magnæ Indoles non expectant rugam, cuius aratæ sulco fæcundam Patriæ polliceantur messem, simul florem explicant, simul fructum præbent. Sicut soles, qui in ortu statim totum effundunt lumen, nec differunt jubar in meridiem, sed oriuntur, & rutilant. Quidquid futurus eras, jam tunc fuisti, quando esse incipiebas; ut dubium nobis feceris, majorné ante magnitudinem fueris, an semper Maximus Magne *Constantine*. Novennis dedicatus Apollini, ùltra bicollem ipsisus excreuisti Parnassum, qui licet utroq; sub nubes eluctaretur vertice, unum tamen Tuum non potuit æquare caput. Vnde flere debuit integrâ Hipocrene Helicon, quòd à Te sua numina viderit superari. Nempè ingenitæ probitati acquisitam adijciens, ipsismet eruditoribus Tuis fuisti schola, ubi ea in Te discerent, quæ docebant. Felix ager, culturam omnem præueniens, cum nè quidem vernant alij, autumnâsti, semper majora pollicitus, cum dares maxima. Literarum ingressus aciem, in ipso *Zielinscij* Nomine, omnibus præripiebas herbam; sequi Te triumphale erat, non assequi gloriosum. Currebas Magne *Constantine*, (ut olim Magnus coram Macedonia, parvus coram Te Alexander) currebas ad bravium cum regijs collactaneorum conatibus, nullus tamen præter Te coronam reportavit; satis existimans stadio Tecum interfuisse, cùm ad metam venire præ Tua alacritate non liceret. Prima studiorum germina *Iagellonico* consecrâ-

Studia tractat.

 sti

In Alma Vniversitate Cracov.

sti *Manipulo*, Metropolitanam Poloniæ Vrbem, quà suis latè distenditur mænibus, ingenij & Nominis famâ adimplendo. Exivit tunc ex abditis syluarum lustris, & dilecta solitudini nemora deseruit Academus, ut Te supra institutorum Mineruam eminentiorem alumnum conspexisset; vidit, probauit, coronauit. Exporrectiore surrexit Vavelus colle, & pone-Istulani montis arduum elevavit supercilium; utq; Palladem Tuam intra muros conclusam aduertit, admiratione defixus hucusq; super propugnacula Civitatis stat suspensus. Ipsæ illæ pro Iuventutis Polonæ palæstrico instituto à *Vladislao* designatæ Athenæ, ad eruditionis Tuæ lucem cum suis palpebram clauserunt noctuis; hâc oculorum dejectione Tuam prudentiam adorantes. Extant hucusq; in illo *Sapientiæ theatro* Tuæ indolis actus, fastis & mnemosyno digni. Pretiosiùs quàm Erythreos uniones in gratæ recordationis gazophylacio obseruat *Iagellonica Pallas* illius sudoris gemmas, quem Tibi gymnasticus largo fluento expressit labor. Cum alijs itum ad calcaria; Tu frænandus eras, nè præcipitâsses ætatem ultra annos. Alij etiam in scirpo experti nodum, necdum immersis profundo conatibus, sicci Iasones pomærium repetebant; Tibi omnem sulcare fluctum, nullam non lacessere charybdim, cuilibet occurrere scopulo, intra gloriam stetit, & profectum. Iuvit docentium industriam discentis ingenium; facilè fuit inclinantem se bono naturam regere, quæ semina institutionis promptè in imum animi fundum exciperet, in tantùmq; posthac excrescerent, acsi repetito Persarum more erudiendum suscepissent quatuor lectissimi: *Sapientissimus*, *Iustissimus*, *Temperantissimus*, *Fortissimus*. Sed non potuit unius Vrbis adeò spatioso ambitu ingenij Tui contineri amplitudo; tantus jam eras, ut cum Macedone, alium Tibi orbem decreueris inquirendum. Movisti invidiam Regnis, litem de Te consciuisti Provincijs, ut vehementiore animorum desiderareris voto, quàm ille, quē; Chij suum vendicant, Salamini repetunt. Certabatur

ab

ab vrbibus de Tua præſentia, ultro Tibi repandas ſingulæ aperiebant portas, faſtuſq; liminum erat à Tuo veſtigio conculcari. Palma tamen penes *Ingolſtadienſem Vniverſitatem* relicta, eò vernavit glorioſiùs, quò florentiore *Zielinſcij* Nomine adumbrata. Hîc primùm externi viderunt ſoles, quàm dignos non ad fulmina duntaxat portanda, ſed etiam ad lauros geſtandas nutrit Aquila Polona pullos. Monſtratum in Te exoticis cenſuris, quòd parùm habeant Sarmatica pectora ipſo Gradiui feruentiùs ardere æſtu, niſi & doctioris Phæbi caleant incentiuo. Eiecta malevolo livori feſtuca, quâ Lechicæ ſplendoribus offenſus gloriæ, obliqvum identidem compungebat oculum, quando ſingulorum in Te pupillas, omnium ora convertiſti, illud in Te legentia: *Et ferro, & aureis triumphare ingenijs, Polonum eſt.* Quid quid in Tullio torrentis facundiæ, in Plinio conditæ ad guſtum dulcedinis, in Cynea molliter inſtillatæ gratiæ, in Iſocrate fulminis, & tonitrui, veneratur diviſim antiquitas, totum in Te collectum Ingolſtadienſes Muſæ adorârunt. Quibus dum monumenta Tuæ relinquis memoriæ virtutem, & doctrinam, altiorum ſcientiarum Candidatus, inter alba Galliæ Lilia commigrâſti. Tum verò hîc enituit qualis, cum quantæ gentis charactere, quâ dignus laureâ adueneras *Præſul Illuſtriſſime*; poſtquam in ſpeculo illo totius Europæ comptos jam & ſine calamiſtro egregios mores, pulchritudine probitatis atq; literarum cultu decorâſti. Fulminabas eloquio; meliùs non tonabat fulgur energiæ Demoſthenes. Ligatæ ſuadæ incòërcito rapiebaris torrente; Mantuano, Papinioq; peſſulus ad linguam, & roſa eras. Ariſtotelico immerſus Euripo, nodos omnes quos Stòá aut Peripathus intricauit Argiva, ſubtiliùs quàm inciſore Macedonis acinace præſcidiſti, reſecuiſti, diviſiſti. Signatorij Galliarum *Flores*, in quorum odorem ab univerſo orbe curritur, ipſi ad Te currere videbantur. A *Liliorum* lacte, Mater ingeniorum appellata *Lutetia*, quidquid in ſcientijs exquiſitum, in

in Academia Ingolſtadienſi.

Lutetiæ Pariſiorũ.

moribus honeſtum, in raritatibus arcanum, in virtute divinum habuit, non tam Tibi inſtillauit, ſicut pleno in præſtantiſſimas Tuas dotes effudit oceano. Tantum hic per biennium Tui incolatûs accrementi feciſti, quantum non feciſſet Plato Numen Græciæ, ſi tercentum annorum ſpatio, totidem altera ſæcula canus elementarius adjeciſſet. Atq; ut prona, & neſcia ſtagnare flumina curſum ſuum non ſiſtunt, ſed declivi feruntur Thetyde, donec aduectum æquori infundant alveum, ſic neq; Tua Indoles preſſo ſtetit immota veſtigio, ſed eluctatura altiùs, ſeptem Quirini aſcendit colles, auguſtiſſima religionis Orthodoxæ promontoria. *Conſtantini* Nomen ut Roma audijt; toto in lætitiam effuſa Tyberi, Magni illius per Orientem Imperatoris, gratam in Te coluit recordationem. Occidens ille pietatis ac Vicariatûs Chriſti ſplendore clariſſimus, traxit Te Polonam Aquilam, ubi poſt profani intuitum Phæbi, Solem juſtitiæ Theologicâ contemplatus pupillâ, docuiſſes: *Romæ quadriennium Theologiã audit.* non auroram, ſed Heſperum Muſis eſſe amicum. Vt arcana ſacratioris Theologiæ recluſiſſes dogmata, ad claves recuris Petri; ut gemmam hanc, quam profundo ſpeculationis alto abdidit myſterioſa arduitas inueniſſes, venis ad annulum Piſcatoris; ut poſt ſæcularis Minervæ arenam, ſtabiliori ſcientiarum innitaris fundamento, ſuperædificas in Petra. Magnus non montium tantùm Romanorum elevatione, ſed ingenij ſublimitate Theologus. Nulla per Imperium Curia, nullus per Electoratûs Aulæ Sereniſſimæ fulgor, nulla per Europam Regia, quam Tuus non luſtrauiſſet oculus, animo ſingula ad gloriæ & æmulationis proventum traducente. Inſtar argumentoſæ apis, quæ florum circumvolans calyces, aliquid delibat ex omnibus, uni mellificio idoneum. Et nè abſq; apparatu triumphi, in ſpinis Logicæ, in aſperitatibus Theologiæ, in arduis ſcientiarum ſalebris, occurrentium difficultatum ſeptennalis debellator veniſſes in Patriam, Doctorali Iuris *Revertitur in Patriã.* vtriuſq; laureâ decorus, redijſti. Aperuit Tibi tædioſæ

ſæ expectationis morâ cor ſaucium Polona Aquila. Gentilitius *Zielinſciorum Aper* ut Te ſalutâſſet reducem, cum avita *Manu* ivit obviam. *Signatoria* in Illuſtriſſimis armis *Virgo* videndi Tui avida, ſupra *Zielinſciani* ſtemmatis conſcendit *Caput*. Fama per *Feneſtram Auream* proſpiciens, centum oribus Maternæ Domûs inflavit *Cornua*. Ternis *Herburtorum* Gladijs, pugnabant inter ſe de Tuo regreſſu vota. *Mdzewſciorum Solea*, ut non iviſſet, ſed volâſſet ad Te excipiendum, Sagittam Patritio addidit Ferramento. Sereniſſima Michaëlis Cynthia, in perfecta plenilunij auge conſiſtens, & noctis Tibi ſpargebat lucem, ad ſuæ purpuræ obſequia redeunti. Cuius Regijs favoribus per non parcentem Nominibus coronatis Parcam orbatus, didiciſti, quòd in Aulis Principum raro ſeneſcunt famulitia, & amores. Extincta illius Serenitas, tempeſtatem in Tuo commovit pectore, quâ in lachrymarum imbrem largiùs liqueſcente perfunderentur cineres arefacti. Porrò cum *Zielinſcius* eſſes, viridem ſemper prætuliſti dolorem, novas cupreſſos luctuoſæ menti implantantem. Donec per inaugurationem hodie nobis feliciſſimè Regnantis, mandatâ terris Korybuteâ Lunâ, refulſit ſol ſuper *Clypeum*, & Lechicam libertatem. Et verò diſcincti propugnaculis Spartanæ fortitudinis æmulatores Poloni, viva nobiſcum in pectoribus portantes mænia, obtentu Sereniſſimi indigebamus *Vmbonis*, qui elideret pericula, ornaret merita. Ivit ſub protectionem Auguſtæ *Ægidis* fortuna Europæi Orbis; iviſti & Tu *Præſul Illuſtriſſime*, quandò non ad latus tantùm, ſed ad cor Principis admiſſus, meruiſti illud deliciantis cum Stilicone Honorij baſium: *Trahimur à fide Tua pectoris auguſti magnes*. Inter præcipuos laudum Tuarum titulos, prima eſt, iſti Monarchæ placuiſſe. Si nihil ab aurea illius dextera (*longas enim & aureas Regibus Dij formauerunt manus, ad ſingulos pertingunt, omnes fovent.*) Si nihil inquàm ab aurea illius dextera accepiſſes, præter id unicum, quòd Tibi Regium cor largiatur

Et obſequijs Michaelis Regis ſe applicat.

Tandem Sereniſſimi Ioannis III. hodie feliciter regnantis.

tur, totius compendium felicitatis accepisti. *In hoc omnia.* Habet, habet ille repositas pro fronte Tua tænias, habet Bicornes Pileos, quibus dilectum sibi coronet caput. Lentiore intervallo suas distinguit gratias, ut tarditatem muneris, magnitudine compenset largitatis. Erit, quandò *Ioannis Agnus* Pastorem Te Infulatum constituet. Erit, quandò *Tertius*, primos in Te effundet favores. Erit, quandò inter purpurata Regni Procerum Nomina, Senatorio murice *Zielinscius* erubescet. Primos Coronationis suæ felicissimæ dies à Te illustrando incepit, quandò Præposituræ Cathedralis Vladislaviensis fascibus decorauit. Præmisit scilicet grandiori hecatombe victimam, & quam de Te æstimationem gesserit, monstrauit, dum hinc caput Regium diademate Poloniæ, hinc Tua merita sacris Titulis coronaret. Gradus iste Illustrissimo *Stanislao Dąbski* ad Plocenses & Vladislavienses Tiaras ascensum præbuit. Huic implantata solo *Gentilitia* illius *Arbor* in Scipiones refronduit Præsuleos; inde & *Zielinscij* honoribus Senatorij vernabunt Fasces. Diu cunctando, venit tandem Clauus ad Cæsarem. Si enim solem facimus honorem, quem virtus aurora præcedit; vel si solem dicimus virtutem, cuius umbra est honor; mereri illum non habere, sudoris unionibus non sanguinis Aviti corallijs parare voluisti. Puerorum est Patritio lacte album ad honores suffragium quærere; Magnis animis non per Ceras dulcedo patet gloriæ, sed per saxa & silices; eoq; suaviùs sapiunt dignitates, quò acerbiùs sudoris sale condiuntur. Minor omninò est, cui solùm Majores suffragantur ad magna. Imagines Patrum fumosæ mordent, non alliciunt honoris pupillam. Ferruginem contrahunt secures dignitariæ, si ex illustri sanguine ad lucem publicam extrahantur. Avorum rugas non amat honor; quas in illis per vetustas Familiarum Lineas origo descripsit Patritia; citiùs gloriosis fastis, quàm fascijs exhibetur. Tibi cùm Genus sit ultra stantes in curribus Æmilianos sublimius, pro gradu tamen

A quo Præpositus Vladislaviensis creatur.

men

men ad fastigium Præsuleum non posuisti Majores, sed magnitudinem meritorum. Scivisti apertum esse os Episcopalis Infulæ, & Cælum versùs erectum, ut virtutem ibi natam intueatur, ac evocet ad se, non terræ Numinum Illustrissimas genituras. Hinc illa simul & semel duorum Episcopatuum Vacantium, Vladislaviensis atq; Plocensis, rarâ prudentiâ, rariore virtute, rarissimo exemplo præmissa administratio. Sub uno cælo gemuit portitor Deorum Atlas, lassatamq; cervicem oneri subducturus astrorum, sarcinam illā Numinibus gravem in lacertos transposuit Herculeos. Tu unus gemino huic sufficiens Olympo, sinuatis nisu robusto humeris, stetisti velut rupes Caucasea. Putabat regina mortualium Parca, post obrutos cespite funesto *Madalinij Vomeres*, desertum Vladislaviensis Ecclesiæ solum sterili extinguendū glebâ, sed reuiruit *Zielinsciani* accessione gubernij, refloruit penes *Iosephi* lilia, in quibus & candorem sinceræ directionis, & odorem exemplarissimæ suspexit virtutis. Ad custodiam aurea mala gignentis pomarij draconem insomnem Hesperides destinant, Vineæ Domini *Zielinscianus* præficitur *Aper*; cujus tutelam qualiter cordi habeat, metire! dum pro illa & *Caput* ponit *Gentilitium*. Armatum illud toties triumphali, quoties pro triumpho eleuatâ dexterâ vides; quòd & manu portare, & consilio erigere gregis orphani salutem monstret. *Non deficit alter*. Mereris, mereris non ex dilecta Iovi quercu, sed ex Avita *Dąbscij Illustrissimi* Arbore immarcescibilis serti victricem frondem *Zielinski Reuerendissime*; cui dum succedis Administrator in fasces, ita vacantem illam magnitudine Tua imples Cathedram, ut & vacuam se doleret, & Tuo plenam Numine lætaretur. Idem mæror, qui ademptum sibi in *Stanislao* lachrymabatur Traianum, in *Constantino* redditum gaudebat Nervam. Sic concors risus cum gemitu, dubium fecit, quis illorum referret palmam? documentum reliquit: Orbitatis lachrymas bono placari successore. Tace fama! quod per adulationem scri-

Administrat duos Episcopatus vacantes.

psisti Magno Philippi Filio: *Vna die & præsens pugnauit in India, & absens vicit Asiam;* dum ampliorem in *Constantino* veneraris animum, qui duabus simul in fulcimentum suffectus Ecclesijs implicantiam Philosophicam resoluit, præsens utrobiq;. Neq; tantùm hanc unam in duorum Episcopatuum Administratione præmittis Rhodum vestituris lacertum Tuum Laticlauijs *Præsul Illustrissime*, ultro ad Te segetem honoris, difficultatem vocas; ut nihil ampliùs supra Te habeat ille, qui per Alpium eluctaturus prærupta hoc abjectam spem erigebat illicio: *Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires; non juvat ex facili lecta corona jugo.* Ivisti repetito Ablegati charactere ad Comitia Generalia Mariæburgensia, Serenissimi Pyrrhi Cyneas suavissimus, ubi *Ioannis* in *Constantino* personam exprimens, prudentiâ, gestis, gravitate, oraculis, facundiâ, Te ipso, docuisti, cujus esses Imago Principis. Tunc primò credidimus antiquitati Oratores ipsius gemmas non verba locutos fuisse, quando à Tuo ore gemmantis suadæ deflui uniones, in dissonis pectoribus unionem fecerunt animorum; ut aurea torque non fortiùs traheret Gallicus Alcides arbitria, quàm Tu nexu verborum mentes. Si graviùs (provocante supercilium materiâ) tonuisti, fulmen Pericleum videbaris elidere. Si dulciore aures influxisti argumento, Hybla Tibi & Hymettus è nectarea stillabat lingua. Auscultavit dicentem Tusculanus Rhetor post limen, & auditâ eloquentiâ Tuâ, Principis Oratorum se exauctorans nomine, Tibi illud cessit Lechico Arpinati. Gemina Deputatione functus ad Illustrissimum Tribunal Regni, velut alter Phrygius Dearum Iudex, justitiâ (quæ juxta Plinium: pulcherrima est inter vultus virtutum) omni humano præponens respectui, secuturis post Te Astreæ Polonæ arbitris dignam scalpro & marmore scripsisti legem: *Iudici tam leue aurum videatur, ut recti lancem non inflectat.* Coram pretiosa æquitate Tua omnis Hermus viluit. Expupillata Themis nunquam Iberici metalli fulvam respexit lucem. Gemmæ

Ad Comitia Mariæburgensia ablegatur.

Ad Tribunal Iudex deputatur.

mæ *Zielinſcio* non ſapuerunt Apro; qui *Caput* amputatum præferens, innuit: taliter colla nocentium abſectum iri. Iudices enim medici Reipublicæ ſunt, qui tum etiam pietatem exercent in ægros, cum igne & ferro putria membra vel uſtulant, vel reſcindunt. Senſerunt Te hoſtem ſuum ſcelera ab alta Areopagi pervigilantem ſpecula, & ne poſt amiſſam frontem etiam caput perdidiſſent, ultra columnas Garamanticas exceſſerunt. Idem tunc erat Poloniæ & Virtutis Regnum, paria illis ſceptra, pares purpuræ. Facinori etiam in Hercinio ſaltu à *Zielinſcio Apro* adempta ſecuritas. Hæc, & alia, quæ compendio exaggerare, opus par eſt Herculeis laboribus, texunt Tibi Senatorium muricem *Præſul Illuſtriſſime*, cui concinnando *Eminentiſſimus Radzieiovij Agnus* Purpureum vellus tribuit, quando Te Primatialis Cathedræ creat *Suffraganeum*. Riſerunt amænitate felicitatis ſuæ recreata Gneznæ Lilia; Gentilitiæ Adalberti Roſæ ad Inaugurationis Tuæ ſolennem pompam feſtiviores induerunt purpuras. Pelicanus Lovicienſis expanſis alis applaudens, omnes dat famæ calamos, quibus Tibi ſcribat panegyricum triumphalem. Ipſæ Archipræſuleæ Infulæ quaſi loqui vellent Euchariſticon Deo pro Tui in Antiſtitem deſtinatione, ad Cælum erigunt repanda ora. Ad tantæ meſſem lætitiæ pertinebat *Vladislauianus* Scholarum Piarum Varſavienſium *Manipulus*, quem Tartaricis, Moſchoviticis, Turcicis, ex Oriente & Septemtrione vernantibus revinctum laureis, in pompa ternorum Triumphorum, ad Tui Honoris deducimus

CAPITOLIVM.

Suffraganeus Gneznenſis creatur.